





26  
f. 266. 2009  
1725, 2

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
CONFLICTU JURIORUM,

PRÆSIDE  
JOHANNE WOLFGANGO TRIER,  
CONSILIARIO REGIO AULICO ET P. P.

RESPONDENTE  
JOHANNE GEORGIO KRAUSE,  
SCHLICHTINGENSI POLONO,  
d. XXIII. FEBR. MDCCXXV.  
PUBLICO CONFLICTUI

EXPONENDA.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,  
Litteris JOH. CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.



150

2

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.



*Perillustri ac Generosissimo  
Domino,*

**DNO. AUGUSTO  
CONSTANTINO  
L. B. de SCHLICHTING  
a BUKOWIEC,**

In Rogalin, Schwufen, Schwirtschen &c.  
Dynastæ,

*Domino suo gratioso,  
omni cultu prosequendo*

In devotæ mentis signum

Hocce

qualecunque profectuum Academicorum Specimen  
sacrum esse cupit

**PERILLUSTRIS IPSIUS NOMINIS**

Perpetuus ac observantissimus

Cultor

**JOHANNES GEORGIUS KRAUSE,**

J. U. C.



*Perillustris Domine Baro,  
Domine gratiose!*



T tandem aliquando quod-  
dam devotissimi animi mei  
in Te, Gentemque Illustris-  
simam documentum ede-  
rem, & Generosissimæ Tuæ  
Stirpis præstantia, & amor soli natalis me  
movit. Jamdudum Cicero amorem hunc  
dulcissimum pronunciavit : Cari, inquit,  
sunt parentes, cari liberi, propinqui, familia-  
res:

res : sed omnes omnium caritates patria una est complexa : pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Et porro: principes sunt, patria & parentes, quorum beneficiis maxime sumus obligati.\* Sed, ut cætera taceam, omnium maxime quoque perpetuam cultus observantiam exposcit Gentis Schlichtingianæ, quæ per septem retro secula imaginibus Majorum floruit, splendor pereximius & illustis. Extiterunt nobis ex hac Excellentissima Familia singulares Veritatis Evangelicæ amici ac propagatores, ad quos tanquam ad Asylum Aug. Conf. addiētis olim tuto confugere licuit. Extitère porro in Judiciis Poloniae & Silesiæ tam summis, quam inferioribus Præsides Assessoresque gravissimi. Extitère tandem & in Republica regenda Gubernatores Ducatum quorundam Silesiacorum ut prudentissimi, sic felicissimi. Quantam præterea existimatio-

\* Lib. 1. Off. cap. 17.

tio-

mod-  
mei  
tris-  
ede-  
Tuæ  
me  
unc  
ens,  
ilia-  
res:



tionem, capeffendo honores ac dignitates  
in Aulis Principum Extraneorum, impri-  
mis Brandenburgici, sibi comparaverint Ma-  
jores Tui, ob styli tenuitatem commemora-  
re supersedeo. Sufficiet unicum hoc addu-  
xisse; Te Tuorum imagines virtutesque ex-  
actissime referre, studiisque sublimioribus  
adeo esse instructum, ut quibuscunque stu-  
diosæ juventutis conatibus amore literarum  
ductus nunquam non favere soleas. Fretus  
igitur hac fiducia Perillustri Dignitati Tuæ  
hasce qualescunque Academiæ primitias fa-  
cras nuncupare non dubitavi. Accipias eas-  
dem in devotissimæ, quam Tibi debeo, re-  
verentiæ signum, ac me, meaque studia Ti-  
bi commendatas habeas. Dabam Franco-  
furti ad Viadrum Die IX. Calendarum Mar-  
tii Ao. M DCC XXV.

*I. Ra-*







Σύνοψις.

**I. Ratio instituti.**

**II. De constituto jurium, quae eidem personae competunt.**

**III. De conflictu jurium diversarum personarum. Ostenditur, falsam esse regulam: privilegiatum adversus aequae privilegiatum non uti jure suo.**

**IV. Instantia proposita hoc ulterius confirmatur.**

**V. Respondetur ad argumenta dissentientium.**

**VI. Proponuntur regulae de constituto jurium diversarum personarum.**

**VII. Prima regula: unumquemque, cui jus competit, eo adversus quemcunque alium, etsi huic idem jus competat, uti posse.**

**VIII. Secunda regula: jus debilius cedere fortiori.**

**IX. Posterius cedere priori.**

**X. Etiam si posterius fuerit speciale, prius generale.**

**XI. Meliorem esse causam rei quam actoris.**

**XII. Item ejus, qui damnum vitare studet, quam qui lucrum captat.**

**XIII. Jus reale potentius esse jure personali.**

**XIV. De concursu harum regularum.**

**XV. Tertia regula: si jura concurrentia sint aequae fortia, omnes pro rata esse admitte-  
tendos.**

**XVI. Quarta regula: si jura concurrentia sint aequae fortia, & omnes pro rata admit-**

A

admitti nequeant, forte  
litem esse dirimendam.  
*XVII. Confutatur opinio adversa.*

(2.)

*secundum quam ex iis, quorum  
aeque fortia jura sunt, nemo  
admittendus est.*

I.



Anta est scientiarum humanarum incertitudo & vanitas, ut certissimum sit, illos demum in quaque doctrina plurimum profecisse existimandos esse, qui, quantum sit illud, quod ignoretur, maxime sentiunt atque agnoscunt. Veritatis hujus in primis etiam sibi conscii sunt, qui studio jurisprudentiae se dicarunt: quod quam sit diffusum, arduum atque in multis quaestionibus lubricum ac fallax, eo magis quisque experitur, quo profundius in illud immergitur. Nam, quod nonnulli opinantur, in omnibus causis propositis proclive judicatu esse, quid justum atque aequum sit, id illorum tantum est credere, qui aut penitus nesciunt disciplinam nostram, aut vix in limine constituti attingerunt: quemadmodum fere semper, ut quisque rem oculis oblatam maxime e longinquo spectat, ita eam minimam ac levissimam esse sibi persuadere solet. Nihil nunc dicam de factorum incertitudine, ubi ob conflictum contrariorum probationum & praesumptionum saepissime animi iudicium in contrarias opiniones distrahuntur. Neque de ipsarum legum incertitudine atque obscuritate, quae in innumeris argumentis longe maxima est, agam. Propositum est mihi, de ea tantum incertitudine disserere, quae circa applicationem legum subinde nascitur, etiam si neque circa has ipsas neque circa factum, cui applicari debent, ulla sit ambiguitas. Evenire hoc solet, cum aut plura jura seu facultates aliquid agendi habendive aut plures obligationes colliduntur, quibus omnibus conjunctim satisfieri non potest. Est hoc nobile & dignum tractatu argumentum,

eo

eo majori persequendum studio, quo magis a juris interpretibus plerumque negligi, aut certe secundum regulas erroneas vel non satis distributas tractari solet. In quo ita versabor, non ut ea, quæ alii dixerunt, operose conquiram, sed ut constitutis regulis quibusdam, additisque rationibus & paucis exemplis, confutatis etiam breviter adversis opinionibus, res omnīs enucleate ac dilucide proponatur. Ne autem tractatio in nimiam molem excrescat, conflictu obligationum alii dissertationi reservato, de solo conflictu jurium nunc disceptabitur.

II.

Si plura jura, quibus uti simul non licet, eidem personæ competant, quæstio non ad justitiam pertinet, sed ad prudentiam. Sux enim quisque rei moderator est & arbiter, atque uti juribus suis omnino renuntiare, ita multo magis ex pluribus illud eligere potest, in quod maxime se ferri sentit. Qui igitur ex duabus actionibus, quarum una alteram consumit, non eam eligit, qua facillime solidum consequi possit, is quidem a Justiniano stultissimus vocatur; (a) at cum non agat contra sanctionem legis, sed contra bonum consilium legi insertum, damnum quidem culpa sua sentit, sed pœnam non luit. Verumtamen hæc de nudis juribus tantummodo intelligenda sunt: nam si obligationes iisdem admixtæ sint, aliud esse dicendum, suo loco explicatius monebitur.

III.

Major est in judicando difficultas, ubi duo vel plura jura diversarum personarum inter se pugnant. Si jura hæc sint ejusdem generis, doctores rem totam una regula expediri posse putant, quæ quidem de privilegiis tantum loquitur, sed ad alia omnia jura, ut hypothecas nullo privilegio munitas, transferri solet: *privilegiatum adversus æque privilegiatum non uti jure suo.* (b) Hanc regulam verisimam dicit Carpzovius. (c) Usûm ejus insignem

A 2

ac

(a) S. 5. J. quod cum eo, qui in al. potest. (b) BERLICH. Decis. 237. ubi multos Dd. alios allegat. (c) CARPZOV. l. 2. Resp. 37. n. 9.

ac multiplicem Hertius prædicat. (d) Autoritatem ejus in  
 gra dissertatione olim in Academia nostra propugnavit Samuel  
 Strykius, qui infallibilem esse hanc regulam, (e) & omnes do-  
 ctiores ita concludere ait. (f) Facilem etiam esse, si eam sequamur,  
 decisionem tot quæstionum de privilegiis concurrentibus,  
 judicat Leyserus. (g) Ego vero, pace Jctorum illorum  
 de jurisprudentia nostra optime meritorum, existimaverim,  
 nullum prorsus hujus regulæ usum esse, & pugnare eam cum  
 principiis legum omnium & naturalium & civilium. Nam  
 privilegio & jure omni duo continentur: permissio, ut quis-  
 que facultate sibi concessa utatur, & obligatio, ut alii eum uti  
 finant. Itaque in conflictu tali si certum sit, aëtori jus quod-  
 dam competere, militat pro eo præsumtio, & reus probare de-  
 bet exceptionem suam, nempe immunem se esse ab obligatione,  
 quam alii habent, ut illum jure suo libere uti patiantur. At  
 secundum Jctos nostros sufficit, si probaverit, sibi itidem jus  
 illud in alios competere: quod est plane alienum a quæstione,  
 & omni prorsus vacat vi concludendi. Evenit quidem interdum,  
 ut privilegiatus adversus pariter privilegiatum non utatur  
 suo privilegio. Sed hoc fit quasi fortuito, neque ideo quia  
 alter pariter privilegiatus est, sed quia lege hoc est constitu-  
 tum. Ita quando miles veteranus excusatur a tutelis, a tutela  
 liberorum alius veterani non excusatur, ejus rei hæc causa est  
 quod legislator ita voluerit. (h) Si vero id inde esset, quod ve-  
 terani defuncti par fuerit privilegium, necesse foret, ut idem  
 ad patres complurium liberorum, absentes reipublicæ causa, se-  
 nio confectos, aliosque posset applicari. Quas ob causas jam An-  
 tonius Faber fassus est, regulam illam vulgarem falsam esse. (i)  
 Imo ipsi doctores supra allegati, qui veritatem & utilitatem e-  
 jus tantopere propugnant, locis nonnullis falsitatem, obli-  
 trinx

(d) HERT. *Comment. t. 1. pag. 217.* (e) STRYK. *de jure privi-  
 legiari contra privilegiatum cap. 3. §. 29.* (f) *Ibid. cap. 1.  
 §. 52.* (g) LEYSER. *Medit. ad ff. Spec. 61. §. 1.* (h) L.  
 8. pr. ff. de excus. (i) FABER. *Cod. l. 1. def. 86. n. 17-  
 in nota.*

etrix suæ, agnoscunt, quando regulam totam deficere ajunt, si quis active aut passive tantum, non simul & active & passive fit privilegiatus. (k) Itaque si ecclesia una rei vindicationem instituat contra alteram, & rea opponat exceptionem præscriptionis decem annorum, actrix vero replicando ad privilegium præscriptionis quadraginta annorum provocet, dicunt, ecclesiam privilegio hoc uti posse etiam contra aliam ecclesiam, cum illud concessum quidem sit passive ecclesiis, contra quas præscribitur, non active his, quæ præscribunt. (l) Enimvero hoc certe pacto tota regula plane subvertitur. Eo enim solo vis atque usus illius continetur, ut privilegiatus passive eo ipso etiam censeatur privilegiatus active, & retro: quod & ex ipsis verbis regulæ & exemplo jam allegato de veteranis a tutela excusatis clarissime apparet. Si vero ex eo, quod veteranus passive privilegiatus atque a tutela suscipienda immunis fit, non sequitur, ut active fit privilegiatus, hoc est, ut tutelam liberorum suorum veterano alii deferre possit, ecquid juvatur pater pupillorum illo brocardico? Et annon jus istud longe aliunde probandum est?

IV.

Quoniam ad convincendos dissentientes magna vis est instantiæ, quam vocant, placet hoc loco similem regulam comminisci, quæ juri adversa videbitur omnibus, sed certe non magis est adversa, quam illa. Dicam, obligatum adversus æque obligatum immunem esse ab obligatione sua. Egregiam vero hanc regulam probabo & legibus & exemplis & placitis doctorum. De iis, qui ex delicto obligati sunt, notum est, ea lege, quam duo contemserunt, neutrum vindicari, & paria delicta mutua pensatione dissolvi. (m) Itaque uxor adultera immunis est a pœna divortii, si maritus eandem pœnam meruerit. (n) Si quo in negotio solius accipientis turpis causa fit, hic quidem ad rem reddendam obligatur: at si utriusque partis turpitude in

(k) CARPZ. l. 2. Resp. 37. n. 13. HERT. Comment. t. 1. pag. 219. (l) STRYK. d. Dissert. c. 2. §. 84. (m) L. 39. ff. sol. matr. (n) d. L. 39.

l. -  
nuel  
do-  
qua-  
enti-  
rum  
rim,  
cum  
Nam  
quis-  
a uti  
quod-  
e de-  
sione,  
At  
n jus  
sione,  
nter-  
uta-  
quia  
stitu-  
tutela  
a est  
el ve-  
idem  
a, fe-  
n An-  
le. (2)  
em e-  
ti do-  
trinæ

privi-  
cap. 1.  
h) L.  
n. 170.



in eo versetur, is, qui accepit, ad restitutionem non potest compelli. (o) In civilibus causis idem multa suppetunt exempla. Laicus laico decimas solvere non obstringitur: (p) quo exemplo nostrum brocardicum æque firmatur, atque alterum firmatur eo, quod clericus a clerico decimas exigere non possit. Filius minus exheredatione coerceri non potest, si pater eodem vitæ genere utatur: cum hic non possit improbare in alio mores, quos ipse in se probat. (q) Homines proprii, qui prohibentur esse testes in testamento liberi hominis, non prohibentur in testamento alius hominis proprii, qui æque est prohibitus. (r) At enim, inquires, etiam si exemplis recentis inaudita hæc regula applicari possit, fieri tamen hoc beneficio materiz, non formæ, subesse fallaciam non causæ ut causæ, non posse ex paucis exemplis regulam generalem confici, neque licere a particulari argumentari ad universale. Idem ego respondebo ad alteram regulam. Excipies porro, multa absurda ex nova regula oriri posse: ut si dicere velim, quia creditor tuus æque est debitor aliorum ac tu es, immunis es ab obligatione solvendi. Reponam ego, regulæ novæ suas exceptiones esse, atque imprimis excipi illas species, ubi aliis regulis juris consentaneum est, ut obligatus obligationi erga pariter obligatum satisfaciatur. Et si vero hæc responsio nihil solidi habet, regulamque nullius esse momenti satis prodit, tamen eandem exceptionem a veteri regula facit Carpovius. (s) Quicquid denique tu regulæ, quam commentus sum, oppones, idem ego regulæ opponam tuæ, ut constet, falsam esse utramque.

V.

Provocant plerumque doctores, ut brocardicum illud suum probent, ad legem Ulpiani, (t) cujus hæc sunt verba: *Quæritur,*

(o) L. 8. ff. de cond. ob. turp. caus. HAHN. ad Wesenb. d. r. ff. n. 4.  
 (p) C. 1. XVI. qu. 7. ZOES. ad t. X. de decim. n. 44. BRUN-  
 NEM. Jur. eccles. l. 2. c. 6. n. 10. (q) L. 47. ff. sol. matt.  
 STRYK. d. Dissert. c. 3. in f. (r) HOPP. ad §. 6. J. de  
 test. ord. (s) CARPZOV. l. 2. Resp. 37. n. 20. (t) L. 1.  
 §. 6. ff. de minor.

simili  
 simpli  
 quis c  
 am do  
 cepit,  
 terpr  
 ad qu  
 nego  
 vero  
 rius  
 bo ca  
 patet  
 erint,  
 Nam  
 nem,  
 sunt v  
 orum  
 specie  
 minor  
 ne spe  
 ubi al  
 nesci  
 posses  
 factus.  
 regula  
 obus  
 mno v  
 ptio ha  
 gis, re  
 unus si  
 crum o

(u) L



si minor adversus minorem restitui desiderat, an sit audiendus? Et Pomponius simpliciter scribit, non restituendum. Puto autem, inspiciendum a Praetore, quis captus sit. Proinde si ambo capti sunt, verbi gratia minor minori pecuniam dedit, & ille perdidit, melior est causa secundum Pomponium ejus, qui accepit, & vel dilapidavit vel perdidit. Lex hæc admodum obscura & interpretatione adjuvanda est. Nam quid est, quod respondeatur ad quæstionem, quis captus sit, nisi minorem captum esse? cum negotium utrinque inter solos minores gestum fuerit. Ecquid vero istud confert ad decidendam hanc controversiam? Clarius igitur formari quæstio ita debebat, utrum unus, an ambo capti fuerint? Hanc enim esse Ulpiani mentem, manifestum patet ex consequentibus. Jam si ambo capti, hoc est, læsi fuerint, (u) itidem verba JCTi generaliter accipi non possunt. Nam regulariter uterque est restituendus, ut si unus probationem, alter reprobationem omiserit: (\*) quia legum generalia sunt verba, quibus minores in integrum restitui jubentur, si eorum intersit. (y) Restringenda itaque sunt verba Ulpiani ad speciem, quam recenset, & ad similes species, ubi res, quam minor a minore accepit, perit: quo JCTum respicere, ex ratione speciali, quam subjicit, constare potest, quia in pari causa, ubi alter dare, alter accipere impeditur, & ubi amobus beneficium restitutionis competit, melior est conditio illius, qui possessionem rei nactus hanc consumsit neque locupletior est factus. Plerique doctores ex hac lege non solum vulgarem regulam suam, sed etiam exceptionem ab ea, si nempe ex duobus minoribus alter de lucro captando certet, altero de damno vitando certante, deducere solent. Verum etiam exceptio hæc inde nequicquam probatur, & vis infertur verbis legis, restitutionem denegantis, si uterque captus sit: nam si unus sit captus, nulla subest ratio dubitandi, cum minor lucrum quærens nec adversus majorem captum restituatur. (z)

VI.

(u) L. 7. §. 7. & L. 24. §. 1. ff. de minor. (x) C. 3. X. de in. rest. (y) L. 6. ff. de minor. (z) L. 17. §. penult. ff. de inst. act. L. 25. in f. de adm. tut.

otest  
npla.  
npla  
atur  
ilius  
vita  
quos  
se te  
men  
nim,  
ppli  
abes  
is re  
ntari  
alam.  
ut si  
orum  
ego,  
bi il  
bligat  
o hæc  
ment  
facit  
entus  
stet.

sum  
eritur  
f. n. 4.  
RUN  
marr.  
J. de  
L. 11.

Poterant doctores, qui ex constitutione speciali regulam generalem commenti sunt, ex aliis multis legibus, quæ mox allegabuntur, eodem argumento a specie ad genus ducto regulam contrariam facere: nempe unumquemque, cui jus quoddam competit, eo adversus quemcumque alium, etsi huic idem jus competat, uti posse. Atque hanc regulam, etsi in jure Romano ita concepta non inveniantur, nos tanquam veram & juri cum naturali tum civili consentaneam amplectimur: nisi aut legislatoris voluntas, quo pertinet exemplum tutelæ veteranorum, aut natura rei non permittat, ut uterque jure suo simul utatur. Si natura rei obstat, constituendæ sunt aliæ regulæ, quarum tres esse possunt: *Jus debilius cedere fortiori.* Si jura concurrentia sint æque fortia, omnes pro rata esse admittendos. Si neque hoc fieri possit, forte rem esse dirimendam. Has regulas rationibus, legibus atque exemplis nonnullis, & postremis quidem, prout se obtulerint, confirmabimus: quo factò simul de falsitate regulæ communis satis constabit.

VII.

Prima regula & fundamentum hujus tractationis est: omnes, quibus jus quoddam competit, eo adversus omnes alios, etiam qui idem jus habent, uti posse. Nam in dubio verba generalia ita intelligenda sunt, ut sub iis omnes species comprehendantur: quarum si quis unam atque alteram exceptam dicat, ille id tanquam assertum, quod minime præsumitur, probare debet. (a) Quamobrem qui reipublicæ causa absuit, etiam adversus eum, qui pariter reipublicæ causa absuit, restituendus est. (b) Ecclesia contumax, termino peremptorio elapso, restituitur adversus aliam ecclesiam. (c) Ecclesia heres non detrahit Falcidiam de legato, quod alii Ecclesiæ solvendum est. (d) Mulier, quæ intercessit, adversus mulierem creditricem SC. Vellejano juvatur. (e) Habens moratorium, eadem contra illum quoque utitur qui habet similem moratorium.

(a) L. 1. §. 1. ff. de leg. præst. (b) L. f. ff. ex quib. caus. maj. (c) C. 7. X. de in int. rest. (d) STRYK. Dissert. c. 3. §. 38. sqq. (e) L. 5. C. ad SC. Vellej. (f) MENKEN. 1. ff. quod quisque jur. in alt. §. 1. Dissentit BERLICH.P. 1. Conclus. 5. n. 37.



riam. (f) Constitutum est, civitatem mutui datione non obligari, nisi ad utilitatem ejus pecuniæ versæ sint: (g) quo jure utendum esse, etiam si civitas alia sit creditrix, ipse Strykius fateatur, (h) quamvis, quod idem adjungit, versionem a civitate debitrice, non a creditrice probandam esse, id & legibus (i) & regulæ nostræ primæ sit adversum, & nulla ratione probari possit. Nobilis immunis est a carcere propter debita dictando, licet creditor itidem sit nobilis. (k) Ex iisdem fundamentis decidi debet quæstio, an ecclesia rea fisco actori ad instrumenta edenda obligetur. Negarunt id Scabini Lipsienses: (l) ego quidem affirmare non dubitaverim, his potissimum rationibus commotus. Principio constitutio illa, ne reus actori edere instrumenta cogatur, (m) non est ita simpliciter accipienda: alioquin analogiæ juris omnino adversa erit. Nam potest reus compelli ad respondendum, verum fatendum, exhibendum, imo ad animi secreta jurejurando contra seipsum evulganda, quod certe multo majus est, quidni etiam ad instrumenta edenda? (n) Deinde quanquam grave est, urgeri partem adversam ad exhibitionem eorum, per quæ sibi negotium fiat, (o) & quanquam, si reus non cogatur ad editionem, lites minui posse nonnullis videntur: (p) multo tamen gravius & iniquius est, si illud fiat cum actoris intentionem fundatam habentis injuria. Præterea ipsæ leges rem hanc omnem ex æquo & bono decidi volunt, judicis arbitrio eam relinquentes. (q) Quam ob causam doctores tot exceptiones constituunt, ut iis tantum non tota constitutio absorbeat: quæ omnes eo fere reduci possunt, reum ad edendum cogi posse, si actor probabilem litigandi causam habeat. (r) Atque hæc genuina ratio est, cur fisco actore, item argentariis reis, aliud fuerit constitutum, ut nempe illi actori &

B

ab

(g) L. 27. ff. de reb. credit. (h) STRYK. d. Dissertat. c. 2. §. 48. (i) Auth. Hoc jus C. de SS. eccles. (k) ZOES. ad r. X. de privil. n. 27. (l) RIVIN. r. 26. Enunc. 8. (m) L. 4. C. de edendo. C. 1. X. de probat. (n) GOTHOFR. ad d. L. 4. (o) L. 7. C. de testib. (p) BRUNNEM. ad d. L. 4. C. de edendo. (q) L. 1. C. cod. (r) v. MENOCH. arb. qu. l. 2. c. 499. BERG. El. Disq. for. r. 26. obf. 1.

ab his reis edi instrumenta semper debeant: (s) quoniam nempe illius probabilis esse causa praesumitur, hi vero non optima fidei habentur. De regula ad quam provocatur, quod privilegiatus adversus aequae privilegiatum non utatur jure suo, diximus, nullo eam fundamento niti. Ac tandem non quaeritur hic, an ecclesia aetrix instrumentorum editionem a reo postulare queat, quod privilegium ei merito conceditur, sed an ecclesia rea privilegium habeat, editionem postulatam actoribus, quibus alioquin eam exigendi privilegium datum est, denegandi, quod nemo unquam probaverit. Atque hac distinctione ipsi Scabini Lipsienses in alia causa usi sunt: (t) ubi responderunt, privilegiatum adversus aequae privilegiatum jure suo tum uti posse, quando illi privilegium actum & in exercitio, huic vero non in hac causa, sed potentia tantum competit. Locum habent eadem, quae diximus, si ecclesia aetrix, fiscus reus fuerit: ut nempe hic illi ad edendum obligetur. Ita respondit Consistorium Ecclesiasticum Wittenbergense, teste Bergero, qui tamen dissentire videtur.

VIII.

Altera regula est: *jus debilius cedere fortiori*. Suus enim quemque sensus arguit, si duo vel plura simul peragi nequeant, illud esse praefendum, quod maximum & fortissimum est. Si itaque apud minorem mulier pro alio intercesserit, constitutum est, ut mulier non utatur SC. Vellejani auxilio. (u) Item si minor cum filiofamilias majore contraxerit, potest ille in integrum restitui, ut magis aetatis ratio, quam Scti Macedoniani habeatur. (x) Nam privilegia minorum naturali ratione subnituntur, privilegia mulierum & filiorumfamilias tantum civili. Propior cognatus retractu gentilitio uti potest contra remotiorem, quia illius fortius jus est. (y) Saepe autem non proclive est judicatu, utrum jus sit fortius: quam quidem quaestionem certis regu-

(s) L. 3. & L. 10. §. 1. ff. de edendo. (t) RIVIN. tit. 20. Enunc. 107. (u) L. 12. ff. de minorib. (x) L. 11. §. f. ff. eodem. (y) BERLICH. p. 2. Concl. 39. n. 31.

reguli  
tamen  
mus.

praeru  
causa  
va an  
simpli  
collo  
nisi l  
ditoru  
derit  
dita,  
ratiu  
runt,  
fudan  
runt  
Cujac  
quam  
ti do  
fingu

genera  
conti  
privi  
speci

(2)

regulis specialibus exhaurire admodum difficile fuerit. Possunt tamen aliquæ constitui: quarum nonnullas nunc enumerabimus.

IX.

*Jus posterius cedit priori.* Nam nullum jus concedi potest in præjudicium tertii: (z) & jus semel huic quæsitum, etsi graves causæ urgeant, non potest auferri. Quam ob causam expectativa antiquior vincit recentiorem. (a) Hypothecæ non solum simplices, sed etiam quibus privilegium prælationis datum est, collocantur inter se in concursu secundum ordinem temporis: (b) nisi legislatori aliud placuerit, ut in quarta & quinta classe creditorum. Si duobus quis separatim rem vendiderit & traderit bona fide eumentibus, is tuendus est, cui priori fuit tradita, sive ab eodem emerint, sive ab alio atque alio, uti Neratius judicat. (c) Ulpianus tamen putat, si rem a diversis emerint, meliorem esse causam possidentis, quam petentis. (d) Mire fudant interpretes, ut has duas leges concilient: sed vim inferunt textibus. (e) Agnoscenda itaque est antinomia, quam Cujacius etiam agnovit, (f) & præferenda sententia Neratii, tanquam analogiæ juris & regulæ nostræ convenientior: licet multi doctores ex legibus contrariis plerumque illam eligant, quæ singularitate sua placet, quod etiam in hac specie faciunt.

X.

*Temporis ordo observandus est, etiam si jus posterius fuerit speciale, prius generale.* (g) Nam sub generali speciale comprehenditur: & qui contrariam regulam sequuntur, ita fere interpretantur jus & privilegium generale, ut plane eludant. Non obstat, quod lex specialis derogat generali. (h) Nam uti a lege posteriore vincitur

(z) L. 2. §. 10. ff. ne quid in loco publ. L. 206. ff. de reg. jur.  
 (a) STRUV. Synt. jur. feud. c. 7. ib. 7. n. 2. (b) L. 2. §. 12. §. 1. in f. C. qui pot. in pign. (c) L. 31. in f. ff. de A. E. V. (d) L. 9. §. 4. ff. de Publiciana. (e) v. BRUNNEM. ad d. L. 9. TITIVS observ. 207. ad Lauterb. (f) CUIJAC. l. 118. Obs. 31. in f. (g) BERLICH. decis. 26. n. 32. DECIUS & GOTHOFER. ad L. 80. ff. de R. J. (h) d. L. 80.

tur prior, (i) & tamen a privilegio posteriori prius non vincitur: ita nec in concursu privilegii aliusve juris specialis & generalis argumentum a lege desumptum valet, quia jura privatis quaesita princeps sine gravissimis causis auferre non potest. (k) Videmus, hypothecam generalem anteriorem tutam esse contra specialem posteriorem. (l) Neque emtor rei singularis auditur adversus illum, qui antea ab eodem domino emerat universitatem bonorum, quares illa continebatur. Si cui dominus expectativam generalem in feudum, quod primo apertum fuerit, deinde vero alii expectativam specialem in certum feudum concesserit, disceptatur, si hoc primum aperiatur, uter sit praefertendus? Debebamus hac in re jus commune sequi, & priorem antepone: quia jus feudale Longobardicum nihil de hac quaestione constituit. Et quamvis Feudista Saxo (m) specialiter expectativatum anteferri velit, ob hanc rationem, quod feudum eo casu domino non apertum fuerit: parum tamen, uti in aliis, ita in hoc praecipue ejus auctoritati tribuendum videtur, quia ratio allegata non solum inadaequata, sed etiam plane nulla est, ut fateatur Schilterus. (n) Nihilominus usus fori hac in re a jure communi defectit. (o) Sed in foro tamen etiam prior praefertur, si posteriori expectativa tum fuerit concessa, cum prope esset, ut feudum ad priorem pervenire posset. (p) Jus feudale Suevicum agnoscit quidem, prioris in jure fundatam esse intentionem, licet generaliter fuerit expectativatus: nihilominus prima vice posteriorem & specialiter expectativatum praferri vult, ut tamen id ulterius ne fiat. Verba Autoris Suevo haec sunt: *Priorem concessionem consecutus domino suo dicere debet, Domine, vos non jure mecum egistis. Atque si tum dominus concessionem non dissimulare potest, tunc dominus nullum amplius feudum potest ulli concedere aut denominare in praesudicium istius. Namque primum feudum, quod domino apertum fuerit, sive certo denominatum fuerit necne, istud est prioris vasalli, & dominus id ei de ju-*

re

(i) L. f. ff. de const. Princ. (k) v. RAUCHBAR. P. 2. quaest. 11. n. 34. usque ad 77. (l) L. 6. C. qui pot. in pign. (m) Lehmann. R. cap. 7. (n) SCHILTER. Comment. ad Jus Alemann. feud. §. 7. (o) CARPZ. P. 2. C. 45. D. 4. (p) Lehmann. R. l. c. CARPZ. l. c. in f.

ve tenetur concedere. (q) Schilterus, clarissimus juris feudalis doctor, hanc juris Suevici dispositionem in foro attendendam esse ostendit: (r) quod etiam nos existimamus, si tam graviter usus fori obstat, quo minus jus commune, quod longe æquius est, sequamur. Ad alias vero expectativas, præter feudales, usus ille æquitati & juri civili tam adversus vix potest extendi.

XI.

*Inter eos, qui aequali jure gaudent, melior est causa rei, quam actoris.* Ratio enim vult, prioniorem esse debere judicem ad absolvendum, quam ad condemnandum, & ipsæ etiam leges civiles idem confirmant. (s) Habent personæ miserabiles hoc privilegium, ut agere volentes reum statim ad summum iudicium Principis vocare possint. (t) Eadem personæ, si conveniantur, extra provinciam ad supremum iudicium non sunt evocandæ. (u) Jam si & actor & reus miserabiles sint, ille contra hunc non utitur jure suo. (x) Accedit, quod privilegium reis miserabilibus datum necessario intelligendum sit de casu, si actor quoque sit miserabilis: nam si hic non sit miserabilis, regulariter nullus reus beneficio priorum instantiarum privari potest, inprimis si Princeps in loco longinquo commoretur, ne quis cogatur peregre de sua patria proficisci, & in peregrinis affligi. (y) Ex hac regula sequitur, ut melior sit causa illius, cujus juri possessio accedit: (z) quia possessor agere non solet. Si uni ex pluribus cognatis ejusdem gradus prædium sit venditum, reliqui jure retractus uti nequeunt. (a) Si pluribus expectativa specialis in idem feudum fuerit concessa, is, cui hoc traditum est, licet postremus sit inter expectativos, præfertur. (b) Item sequitur ex regula nostra, ut melior sit conditio illius, qui rem consumpsit: de quo supra exemplum attulimus. (c) Probe tamen expen-

B3

pen-

(q) Schwáb. Lehn, N. c. 12. (r) SCHILTER. comment. ad Jus Alem. §. 9. (s) L. 38. ff. de re judic. (t) L. un. C. quando Imp. int. pup. (u) d. L. un. (x) SAND. Decis. t. 1. def. 2. (y) Nov. 86. pr. & c. 2. (z) L. 15. C. de R. V. (a) BERL. P. 2. Concl. 39. n. 35. (b) STRYK. Exam. jur. feud. c. 12. qu. 31. (c) §. 5. ex L. 11. §. 6. ff. de minor.

pendendum est, annon forte jus actoris, quod debilius videtur, re ipsa sit potius. Si exempli gratia tres arbitri vel qui jus suffragii in iudicio habent, singuli quidem pro actore pronuntient, sed primus ei quindecim, secundus decem, tertius quinque danda esse existimet, non continuo illa summa eligenda est, quare us minimum oneretur. Nam hoc foret majorem numerum suffragiorum & jus potius, quod inde nactus est actor, negligere. Secundi vero sententia merito praeponderat, quia suffragium primi in hanc propendet potius, quam in sententiam tertii. Hoc jure naturali certum est. (d) E contrario jus civile & canonicum quinque dari volunt. (e) Atque hanc sententiam doctores plerique eo argumento tuentur, quod minima summa maximis contineatur. (f) Verum haec ratio non sufficit: sed numerus suffragiorum est attendendus. Alioquin sequeretur, ut si duo etiam in decem, unus in quinque condemnaverit, quinque tantum dari debeant, in quem errorem lapsus est Accursius. (g) Quamobrem subtilitatem juris Italici in foro non esse sequendam existimaverim, sed aequitatem servandam. Ita in simili quaestione, si quis frumentum vendiderit eo pretio, quo in foro vendi potest, in hoc vero triplex pretium fuerit, ratio habenda est pretii non infimi, sed medii. (h) Eodem modo si pars assessorum reos capite plectendos, pars relegendos, pars absolvendos putet, quam speciem Plinius refert, (i) non absolvendi, sed relegandi sunt: quia certum est, primos secundorum sententiae accedere, ubi suam non attendi vident.

XII.

*Melior est conditio ejus, qui de damno vitando certat, quam qui de lucro captando.* Hoc probatione non eget, cum nemo dubitare possit, multo gravius esse damno affici, quam lucro excidere. Huc pertinet, quod privilegium competentiae marito concessum non possit opponi privilegio dotis, si ipsa uxor eam repetens paupertate

(d) GROTIUS. Flor. spars. ad r. de recept. (e) L. 27. §. 3. ff. de recept. C. 1. de arb. 6. (f) SCHILTIUS. ad ff. Exerc. 12. §. 20. (g) ACCURSIUS. ad d. L. 27. (h) MENKEN. Theor. & Pr. ff. r. de E. V. §. 19. (i) PLINIUS. l. 8. Epist. 14.

tate laboret. (k) Et generale hoc est, ut beneficium competentiæ cesset, si creditor sit inops. (l) Erat apud rhetores veteres controversia quædam, cum lata lex esset, ut argentarii dimidium ex eo, quod debebant, solverent, creditum suum totum exigent. Argentarius ab argentario solidum petit. Recte Quintilianus pro actore pronuntiat, (m) quippe qui de damno vitando pugnat. Nescio, an in re seria mentionem facere liceat speciei ridiculæ & fabulosæ, quam recenset doctissimus atque elegantissimus Abbas Fureterius. (n) Is postquam de lite quadam inter partes pertinacissime agitata sermonem fecerat, subjungit, fuisse canem, qui habebat privilegium a fatis concessum capiendi omnes feras, quascunque persequeretur, fuisse etiam leporem, cui privilegium erat, ne unquam a quocunque cane caperetur. Evenisse aliquando, ut canis ille leporem hunc offenderet ac venaretur, & quæsitum esse, utrum privilegium altero potentius habendum esset. Sed adhuc hodie currere utramque quadrupedem, nec potuisse quæstionem tam arduam solvi. Ex regula nostra utique solvi poterit.

XIII.

*Jus intuitu causarum vel rerum concessum præfertur juri intuitu personarum concessio.* Nam natura causæ trahit ad se personam, non persona naturam causæ. (o) Et jura intuitu rei concessa non tam personæ quam ipsi rei competere existimantur. (p) Jus vero omne quod rei competit, firmitus est atque efficacius, quam quod personæ inhæret. Proinde causæ ecclesiasticæ omnes coram judice ecclesiastico tractari debent, licet reus sit miles, vel alia quæcunque persona foro privilegiato utens. Clerici & Academici, quanquam regulariter coram judice seculari conveniri nequeunt, sed conveniendi sunt coram judice suo, (q) ita ut nec proga-

(k) CARPZ. l. 2. Resp. 37. n. 19. (l) Id. P. 1. C. 32. D. 15. inf.  
 (m) QUINTIL. Inst. orat. l. 5. c. 18. (n) Mr. FURETIERE Roman bourgeois l. 2. in f. (o) BALD. de controv. feud. ap. pares. term. c. 1. n. 4. j. Auth. Clericus C. de ep. & cler. (p) L. 4. §. 5. ff. fin. reg. L. 31. §. f. de negot. gest. (q) C. 1. §. 2. X. de forq. compet.

rogatio expressa jurisdictionis secularis vel renuntiatio attendatur, (r) tamen, quod ad bona feudalia attinet, & in omnibus judiciis realibus in foro rei sitæ ab actore conveniri possunt. (s)

XIV.

Notandum vero est, sæpe plures harum regularum eidem speciei applicari posse, ut decisio non sit eadem: tumque iudicis religioni ac prudentiæ relinqui, quam illarum potissimum attendenda videatur. Cujus rei ut exemplum suppeditem, lex fuit olim alicubi apud Græcos, cujus rhetores antiqui eundem mentionem faciunt: *Rapta raptoris aut mortem aut indotatas nuptias optet.* Una nocte quidam duas rapuit, prior mortem optat, posterior nuptias. (t) Pro puella mortem optante militat, jus ejus antiquius esse, neque illud novo raptu potuisse infirmari: pro altera puella, rei partes esse favore digniores, atque uti inter paria iudicum suffragia mitior sententia in causis criminum præfertur, ita etiam in hac causa idem attendendum esse, ubi lex privatis jus quoddam vitæ & necis contulit. Quia vero ad ea, quæ a priore puella afferuntur, illud accedit, quod exemplo nociturum sit, non perire quempiam propter hoc, quod bis perire meruerit, deinde quia pessimi indicium animi est, non una rapta contentum esse, ne una quidem nocte, justum est, raptorem morte affici. Permulta sunt exempla alia, quorum imprimis fertile est argumentum de modo acquirendi dominium, qui accessio dicitur, ubi mirifice disceptatur, inter duorum jura concurrentia utrum ab altero vincatur: in quibus quæstionibus magis ubique ratio habenda est æquitatis atque usus fori Germanici, quam legum Romanarum, quippe quæ in hoc argumento sæpe & omni æquitati & ipse sibi adversantur. (u)

XV.

Regula generalis tertia hæc erat: *si jura plurium concurrentia sint aque sortia, omnes pro rata esse admittendos.* Nam ubi duorum vel pluri-

(r) GAIL. l. 1. Obs. 37. n. 1. MENKEN. Theor. & Pr. ff. t. de judic. §. 43. (s) GAIL. l. c. n. 3. & 4. (t) SENECA l. 1. Contror. 5. (u) v. Præfatis Animadv. ad Hoppii Exam. Inst. t. de rer. div. qu. 71. 76. seqq.



plurium jura sunt æqualia, necesse est, & æqualibus etiam com-  
 modis finguli utantur. Sicuti, cum duæ sunt obligationes e-  
 jusdem potestatis, neutra alteram consumit: (x) ita idem de  
 duobus juribus ejusdem potestatis dicendum est. Et sicuti  
 cum non facile constitui potest, uter inter duos potius lege  
 teneatur, absurdum est constituere, alterum teneri: (y) ita et-  
 iam inter duos, quorum neutrius jus potentius apparet, æque  
 absurdum est constituere, alterum potius quam alterum esse  
 præferendum. Est hæc regula nostra notatu dignissima, quia  
 secundum eam permultæ quæstiones decidendæ sunt: tamen si,  
 nescio quo, præjudicio fiat, ut judices raro regulam hanc in u-  
 sum vocent, ac plerumque pro una parte pronuntient, quasi ju-  
 stitiam semper fere ab unius, vix unquam ab utriusque partibus  
 stare necesse sit. Celebre in primis est exemplum confictus,  
 cum hypotheca tacita antiquissima, expressa medio tempore con-  
 stituta, & dos postremo a muliere illata colliduntur. Mire qui-  
 dem inter se dissentiunt doctores, quis ex tribus creditoribus re-  
 liquis præferendus sit, sed in eo fere omnes consentiunt, unum  
 reliquis esse præferendum. Ego vero cum Leibnitio existima-  
 verim, & alibi latius est ostensum, singulis creditoribus ratam  
 partem secundum regulam hic propositam solvi oportere. (z) Si  
 præmium constitutum sit illi, qui in obsidione primus muros  
 conscenderit, ubi duo simul in muris comparent, & nescitur,  
 uter prior fuerit, dividendum est præmium, nisi is forte, qui  
 promisit liberaliter agere, & singulis solidum dare malit. (a)  
 Idem dicendum de præmio tyrannicidis lege constituto in con-  
 troversia, cujus Quintilianus meminit. (b) Nimirum tyrannus  
 suspicatus, a medico suo sibi datum venenum, torfit eum, &  
 cum id dedisse se negaret, arcescit alterum medicum. Hic da-  
 tum ei venenum dixit, sed se antidotum daturum, & dedit ei  
 potionem, qua epota tyrannus decessit. Si complures hypothe-  
 cam

C

(x) L. 5. ff. de fidej. & mand. (y) L. 51. §. 2. ff. ad L. Aqu. (z) vid.  
 Programma Præsidis de difficultate inveniendæ proportionis inter jura  
 concurrentia de A. 1724. (a) GROTIUS de J. B. & P. l. 2. c. 16.  
 §. 19. (b) QUINTILIANUS Inst. orat. l. 7. c. 2.

cam vel arrestum impetraverint, nec de tempore constet, in concursu omnes eadem classe speciali pro rata admittuntur. (c) Si quis duo testamenta reliquerit, nec certum fit, utrum sit posterius, Prætor ex utroque dat bonorum possessionem. (d) Si quis Titia textores suos omnes, Plotia vernas suos omnes legaverit, ii servi, qui sunt & textores & vernæ, ambabus communes fiunt, atque hoc juris esse Labeo ait. (e) Ceterum interdum valde difficile est, justam proportionem quantitatis, quæ in concursu cuique debetur, invenire: (f) quæ res propter varietatem casuum ad certas quasdam regulas revocari vix potest, sed iudicis dexteritati est relinquenda.

XVI.

Transimus tandem ad quartam regulam nostram: si jura concurrentia sint æque fortia, neque tamen pro rata vel dividi vel communia fieri possint, forte litem esse dirimendam. Commodius enim medium, hujusmodi casibus evenientibus, excogitari nequit, quam ut iudex fors & fortuna inter litigantes constituatur, spesque ad omnes, res ipsa ad unum perveniat. (g) Quam ob causam in duplicibus judiciis, quando duo simul ad iudicium provocant, forte discerni solet, uter actor sit, uter reus. (h) Neque alius est modus dirimendi controversiam gemellorum, si nesciatur, uter sit primogenitus, & jus a primogenitura dependens neque divisionem neque communionem patiatur: de qua quaestione multum disceptari solet, (i) & extat de ea erudita dissertatio Johannis Kleinii, qui eandem nobiscum sententiam tuetur. (k) Multa sunt exempla alia, in quibus, quia jura personarum concurrentium æque certa aut æque incerta sunt, ad fortem devenitur: (l) sed longe plura sunt, ubi ad eam non devenitur, deveniri tamen

(c) RIVIN. t. 42. Enunc. 20. Et. 48. En. 5. (d) L. 1. §. 6. ff. de bon. poss. sec. tab. SCHOEPF. d. t. n. 13. (e) L. 36. pr. ff. de leg. 1. (f) v. L. 13. pr. ff. de liber. & posth. conf. d. Programma. (g) a. L. 3. pr. C. comm. de legat. (h) L. 14. ff. de judic. (i) BRUNNEM. ad L. 10. ff. de reb. dub. n. 7. (k) KLEIN. de dubia primogenitura jure. (l) L. 5. ff. fam. ercis. L. 24. §. 17. ff. de fideic. libert. L. 3. pr. C. commun. de leg. &c.

men par erat. Præstabilius multo foret, in causis adeo arduis, ut neutrius partis jus potius appareat, fortem in subsidium vocare, quam casum pro amico, quem appellant, facere, aut dubiam sententiam ferre, cujus non sit certior justitia, quam ipsius fortis. In muneribus publicis conferendis consuetudine & statutis nonnullorum locorum fors adhibetur. Voluit quidem Justinianus Imperator, omnem principatum & omnem hominum præfecturam, inprimis vero episcopatum, non sorte, sed electione dari. (m) Verum uti munus apostolatus, quod munere episcopatus majus est, extincto Juda Iscariote, sorte collatum fuit: ita nihil impedit, quo minus alia etiam munera voluntate illorum, penes quos est ea conferendi potestas, inter plures personas habiles his tribui possint, quos fors designavit, (n) præsertim in liberis civitatibus, ubi electionum magna sæpe esse incommoda solent. Sorte vero frangitur aut certe imminuitur ambitus & potentia familiarum libertati metuenda, invidia tanta non est adversus obtinentem, neque tantum conscientia periculum in conferentibus. Sors est in manu Dei, & sæpe cadit in digniorem, quam is est, qui judicio electus fuisset, ut pote quod ob debilitatem suam, amorem, odium, aliasque causas crebro aut fallitur aut obtunditur. Sique eveniat, ut quid respublica ex munere collato detrimenti capiat, facilius tamen illa se solari potest, si id quasi cœlitus contigerit, quam si affectu aut culpa conferentium, qui commoda publica promovere debebant.

XVIII.

Proposita est jure canonico alia regula duabus nostris potestatis plane adversa, qua etiam autores juris civilis identidem usos fuisse constat. Gregorius X Episcopus Romanus, quoniam, inquit, quis expectatorum jus habeat in præbenda, dubitatur, nos neutrum illorum jus habere decernimus in eadem. Urbanus V Papa, cum promississet Fratribus Minoribus, se ex tribus, quos nominaverint, crea-

C 2

crea-

(m) L. 47. pr. & §. 1. C. de episc. & cler. (n) BALDUIN. Cas. consc. l. 4. cap. 5. cas. 6. Dissentit BEYER. Addit. ad Carpz. l. 1. Def. eccl. 45.

creaturum unum Cardinalem, illi vero nomina in orbem descriptiffent, ne videlicet posset dignosci, quem ex illis dignissimum haberent, dixit Fratribus nominantibus, iudice Nicolao Everhardo, (o) perquam lepide, *ordinem pervertistis, Fratres, & ego ordinem perverram*, neminemque ex illis tribus Cardinalem fecit. Eodem perverso modo Jcti Romani, si quis ultra numerum legibus permissum servos testamento manumiserit, omnibus servitute manendum esse statuerunt. (p) Si fuerit legatum relictum ex cognatis meis ei, qui primus Capitolium ascenderit, & simul duo venisse dicantur, nec appareat, quis prior venerit, item si ei, qui maximus natu est, & duo pares ætate sint, vel Sempronio amico, & duo sint æqua caritate conjuncti: in his omnibus secundum Ulpianum legata impediuntur. (q) Si quis duobus Titii separatim legaverit, & uni ademerit, nec appareat, cui ademptum sit, utrique legatum deberi idem Jctus ait: (r) alibi neutri deberi existimat, (s) si vera est vulgaris lectio. Negari quidem non potest, in causis possessionum sæpe commodius esse, neutrum juvari, quam gravari alterum: (t) sed in iudiciis petitoriis nihil posse excogitari injustius puto, quam ita sententiam ferre, ut ambæ partes æque lædantur, & universum, quod illæ persequuntur, in iudicis vel alius tertii potestatem perveniat. Accedit, quod hac ratione fenestra multis fraudibus aperiatur. Nam si episcopatus cuiquam debeatur, facile potest alius subornari, qui illi litem moveat: tumque secundum sacros canones beneficium tertio conferri potest, cuius dona ipsum præ reliquis dignissimum effecerunt. Denique etiam sic jus vel maxime incertum circa has quæstiones inducitur. Nemo enim dixerit, decretum Gregorii X in omnibus speciebus similibus sequendum esse: & tamen, quæ sint species, in quibus illud locum habeat, non nisi ex æquitate quadam ce-rebrina definiri potest, ut ita res tota iudicium libidini relinquenda videatur. Quamobrem leges Italicæ jam allegatæ, æ-  
quita-

(o) EVERH. Loc. argum. legal. loco 1. n. 7. (p) L. 42. & 43. ff. de her. inst. (q) L. 10. pr. ff. de reb. dub. (r) L. 3. §. 7. ff. de adim. legat. (s) d. L. 10. (t) C. 10. XIV. qu. 5.



quitati & moribus nostris tam adversæ, in his quæstionibus plane non sunt sequendæ. Salomon quidem, cum mulieres dux de infante litigarent, voluit, ut, re litigiosa gladio dissecta, neutra illam haberet. Sed erat hoc decretum Regis simulatum: & nisi, utra esset mater, tandem patuisset, sine dubio ille secundum postremam regulam supra propositam forte litem decidurus erat.

F I N I S.

---

Ad Nobiliss. Dn. Respondentem.

**M**ulta meum atque tuum dant iurgia teste Platone, \*  
 Conflictus Juris quod satis hicce docet.  
 Conflictans defende Tuum Jus lege probante.  
 Hujus Conflictus jure ita victor eris.

\* L. 5. de Rep.

M. Gottlob Rothe.  
 P. L. C.

---

**I**mpigra magnificam profert industria laudem,  
 Quæ nobis primo res operosa fuit.  
 Principio studii radix apparet amara,  
 Sed fructus dulces innumerosque parit.  
 Tu jam laudaris, Tibi gratulor, OPTIME KRAUSI:  
 Mox etiam fructus, quod precor, accipies.

*Hæcæ pauca nobilissimo atque doctissimo Dn. Respondenti,  
 amico suo dilectissimo, properante  
 calamo*

J. G. ALBINUS, Jur. Cult.  
 Ziebing. Neo-M. Opponens.



**A**mbiguo niti Legum præscripta profecto  
 Ufû, hominum ipse status conditioque probant:  
 Te certo studio Themidos bene noscere jura,  
 Laudibus ipsa Tuis publica Musa probat.

*In honorem Nobilissimi Dn. Respondentis  
 hæc posuit Opponens devinctissimus*

**C. J. de SONNENTAGEN,**  
 Sil.

**T**U, qui fatidicæ Themidos mytheria volvis,  
 Conflictum varium juris, Amice, doces.  
 Hoc precor, ut multos processus congreget æther,  
 Ac tibi fortuna jureque fausta fluant.

*Hoc Nobilissimo Doctissimoque Dn. Respondenti,  
 contestande obligationis causa, gratulabunda  
 mente addere voluit*

**JOANNES BAUMGARTHEN,** Sil. Grünberg.  
 LL. Cultor & Opponens.

**S**unt nunc Sarmatiæ cum Saxone commoda juncta  
 Communi Domino: suadet utrique salus.  
 Hinc utriusque decet Regni Te noscere jura:  
 Ecce Tuus quod erat, Numine dante labor,  
 Pallade concessum ingenium Themis alma polivit:  
 Hinc quisvis dictis accinit Euge! suum.  
 Post hæc primitias, quas, dulcis Amice, tueris  
 Proveniet studii mesfis optima Tui.

*Ita Dn. Contubernali  
 applaudit*

**D. G. Fetter,** LL. Stud.  
 Sup. Luf.



Frankfurt a.O., 1725-27









2, H  
1,266. 2049  
1725, 2

SSERTATIO JURIDICA  
DE  
**PUBLICO CONFLICTU JURIORUM,**  
PRÆSIDE  
WOLFGANGO TRIER,  
SACRARI REGIO AULICO ET P. P.  
RESPONDENTE  
GEORGIO KRAUSE,  
SACRILICHTINGENSI POLONO,  
XIII. FEBR. MDCC XXV.  
PUBLICO CONFLICTUI  
EXPONENDA.  
NCOFURTI AD VIADRUM,  
PHOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.

